Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 915
Quelle:
Copyright:

rium universas tam veteris quam novi Testamenti sententias ab eo expositas excerpens; refertur item *Brunonis* cujusdam *Prologus* Excerptoris pariter *Gregoriani*, cujus, si loca duo, quae hic describam, perpenderis, fortasse mecum statues, aut hunc, aut *Alulfum* Spicilegii nostri autorem esse. Sic vero ille de suis *Paterii* Exemplaribus; *Ibi de Parabolis Salomonis — pauca inveniuntur;* Et: *dum multa de libris* (Gregorii) *quorum Codex ille nihil habebat, testimonia sponte occurrerent, placuit mihi majori diligentia, quaeque possent inveniri, scrupulosius investigare, et eadem ratione, qua illa vidi per ordinem digesta, colligere.* Adde, quod modus Excerpta proponendi in hoc Spicilegio multum a *Pateriano* differat.

Fol. 172. p. 2. Index Capitum XXII. in Loca *Ecclesiastis*, in quem nihil habet editus *Paterius*. Modus proponendi idem, ac in praecedenti, unde iterum ad *Alulfum* aut *Brunonem* respicio. C. I. ita orditur: *Fulgura sancti uiri mittuntur et eunt, cum a secreto contemplationis ad publicum operationis exeunt. Mittuntur et uadunt, cum ab abscondito speculationis intime in actiue uite latitudinem diffunduntur. — Vnde bene per Salomonem dicitur: Ad locum, de quo exeunt flumina, reuertentur, ut iterum fluant. Ipsi quippe hic flumina, qui illic fulgura sunt vocati.* &c. Locus promtus ex *Eccl.* C. I. v. 7. Expositio vero ex *Homil.* V. L. I. in *Ezech.* Caput postremum exponit Capitis *ult.* v. 5. et finit: *bene uiuendi ordinem amisit.*

A *fol.* 177. *Capitula Canticorum* non additis numeris, sed re ipsa sunt LXV. dum in edit. solum XLIX. censentur, a quibus saepe variant nostra vel extensione, vel contractione, vel transpositione, vel interpolatione. Exemplo sit C. I. quod usque ad verba: *oris eius oscula accepit*, cum edit. conspirat, dein vero ita abit: *Potest per os dei unigenitus filius designari, qui sicut brachium eius dicitur, quia per eum pater cuncta operatur, de quo propheta ait: et brachium domini cui reuelatum est, et de quo iohannes dicit: omnia per ipsum facta sunt, ita etiam os dicatur, ac si oris nomine patenter diceretur uerbum* &c. Unico se Codice usos in edendo *Paterio* in *Cantica* testantur *Mauriani* T. *suprac. col.* 297. in *nota.* Non itaque mirum, eos latuisse, quantum Exempla *mss.* inter se differant. Longus forem, si differentias singulas persequerer, quas indicasse sufficiat, et monuisse, quaedam fortasse curis posterioribus *Paterio* infarcta fuisse.

A *fol.* 192. p. 2. Excerptionum in L. *Sapientiae* Capita XII. Et haec ita ab editis differunt, ut solum Caput *ult. Creator omnipotens deus* &c. et ne id quidem totum commune habeant; Codex enim jam in verba: *damnabile esse, quod agit*, definit. Init vero: *Inuidere non possumus, nisi eis* &c.

A *fol.* 195. *Capita libri Ecclesiastici*, numero XXIV. Si cum editis compares, eadem ratio. Quaedam